

la est alio modo nec ratio philosophi aliquid valet quia motus locali non cessat propter fatigationem moueri propter voluntatem. Si dicatur ex quo celum est capax ipsius motus perpetui quare angelus non mouebit si voluerit nec constat nobis de sua voluntate hoc determinare pertinet ad theologos.

Ad secundum sic proceditur videtur quod non solus deus sit immobilis et immutabilis quia deus intelligit et vult. Sed intelligere est actus intellectus et motus eiusdem secundum platonem ergo deus est mobilis. Sed contra est philosophus.

Respondeo dicendum secundum philosophum. secundum lecturam. quod primus motor est penitus immobilis. Et hoc quidam probant quia alias posset quandoque esse et quandoque non esse. Et per consequens generaretur et corrumpere. Sed secundum philosophum. secundum philosophum. hec ultima consequentia non valet quia punctum et alia accidentia possunt quandoque esse et quandoque non esse et tamen non proprie generantur quia omne quod mouetur quocumque motu est partibile ut patet ex vi. philosophi. Arguitur ergo aliter quia si primus motor moueret oporteret quod moueret a se secundum philosophum quia anima mata dicuntur mouere se. Et per consequens oporteret quod divideretur in partem per se mouentem et in partem per se motam illa autem pars per se mouens esset prior eo hoc autem implicat quia nichil potest esse prius primo motore. Forte dicis quod primus motor non mouet per se sed per accidens. Contra illud quod mouet per accidens quandoque quiescit et quandoque mouet. Primus autem motor semper se habet eodem modo. Forte dicis quod hoc est petere principium. Dicendum quod non quod primus motor non est pars celi ut postea dicetur. Et ideo non mouet ad motum celi item mouens quod mouet per accidens non mouet motu sempiterno. Sed secundum philosophum deus mouet motu sempiterno unde secundum philosophum est necesse esse unum motum continuu et perpetuu ergo primus motor est perpetuus et est tamen unus quia ex eius unitate melius saluat unitas et continuitas motus. Ex his patet quod inter entia quaedam sunt que semper mouentur. Alia vero nunquam. Alia vero quandoque mouentur et quandoque quiescunt. Sed nunc videndum est de aliis intelligentibus an ipse sint immutabiles. Et de his dictum est supra maxime de motu locali secundum veritatem. Sed secundum philosophum videtur quod nulli angeli moueantur per se sed angelus mouens celum semper manet in eodem loco ipse autem ponit precise tot angelos quot sunt celi. Et notandum secundum philosophum. secundum philosophum. parte. quod. lxxix. ar. x. quod in libris de arabico translatis substantie separate quas nos angelos dicimus intelligentie vocantur forte propter hoc quod huiusmodi substantie semper actu intelligunt.

Preterea. Sciendum est quod loquendo de motu generationis angeli non possunt proprie generari nec corrumpi sed possunt creari vel annihilari per potentiam extrinsecam scilicet a deo et moueri de vna voluntate in aliam. Tamen secundum philosophum. secundum philosophum. Luiciumque fini ultima adherent illi immobiliter adherent sicut nos immobiliter adheremus primis principiis et propter hoc non possunt moueri de bono in malum secundum philosophum. secundum philosophum. parte. quod. lxxix. ar. ij. Ex his patet cum eodem. parte. quod. lxxix. ar. ij. quod omnis creatura est mutabilis. Sed an secundum philosophum angeli possunt a deo annihilari sicut sunt ab eo creati dubium est.

Contra hec arguitur primo ostendendo quod possibile sit quod aliquid mouens quod mouetur per accidens mouetur perpetuo quia orbis inferiores planetarum mouentur per accidens ad motum primi celi et tamen semper mouentur. Item celum primum semper mouetur et tamen non mouetur per se quod patet quia mouetur ab alio ergo non mouetur a se.

Secundo deus potest moueri localiter ergo est mobilis antecedens patet quia si destruat istum locum

cum et producat alium tunc deus est in aliquo loco in quo prius non erat ergo est motus localiter. Item dicit philosophus quod deus et studiosus possunt praua agere ergo deus potest peccare et per se mutari.

Tertio secundum theologos in diuinis ponitur generatio sed generatio est species mutationis igitur. Item deus est homo secundum eosdem ergo est mobilis quia descendit de celis.

Quarto deus potest incipere esse patet quia christus incepit esse et christus est deus igitur maior patet quia quod non semper fuit aliquando incepit esse sed non semper fuit verum dicere christus est igitur christus aliquando incepit esse minor patet quia ante incarnationem hec erat falsa hoc est christus ergo est ista christus est hoc quia ibi est conuersio simplex.

Quinto quod potest esse deus et nunc non est deus potest incipere esse deus sed annihilans mundum nunc non est deus et potest esse deus ergo potest incipere esse deus. Ponatur ergo in esse et sequitur quod aliquid incipit esse deus. Item deus incipit esse in hoc instanti ergo incipit esse antecedens patet quia deus nunc est in hoc instanti presenti et prius non erat in hoc instanti presenti igitur. Item deus est in instanti sue eternitatis et non fuit ante instanti sue eternitatis ergo incepit esse in instanti sue eternitatis ergo aliquando incepit esse iste consequentie videntur tenere per exponentes propositiones de incipit.

Sexto ex hoc concludimus voluntatem petri mutari vel intellectum quia nunc aliquid vult vel scit quod prius non voluit nec sciuit sed deus nunc vult manum meam esse clausam supposito quod sit clausa et prius non voluit quia prius non fuit clausa. Nec prius sciuit eam esse clausam quia falsum non sciuit. Forte dicis quod omnia sunt deo presentia. Et ideo in conspectu suo semper manus est clausa. Sed contra sequetur quod in conspectu suo simul esset clausa et aperta.

Item tunc mundus fuisset ab eterno quia ab eterno coexistebat eternitati dei. Semper enim essentia hominis fuit in predicamento. Et hoc fuit magis ens ab eterno quam chimera ergo ab eterno fuit deo presentia.

Septimo deus discurrit ergo mouetur. Antecedens patet quia cognoscit primo se deinde alia per suam essentiam. Item illud mouetur saltem per accidens quod est in aliquo quod mouetur. Sed deus est in celo quod mouetur ergo mouetur saltem per accidens maior patet quia angelus dicitur moueri per accidens quia est in corpore quod mouetur. Item non est transitus de contradictorio in contradictorium sine mutatione ut patet. vi. philosophi. Sed deus ante incarnationem non fuit homo et nunc est homo. Et aliquando non creauit mundum et postea creauit. Forte dicis quod ibi fuit mutatio non in deo sed in mundo creato. Contra secundum sanctum thomam. creatio non est mutatio. Item quod nunc agit et non prius aliter se habet ergo.

Octauo arguit. Adam quia secundum theologos in primis motibus peccatum veniale fit mortale per continuationem absque alia mutatione et tunc illud quod prius imputabat ad penam temporalem post ea ipse imputat ad penam eternam ergo ibi est successio et mutatio et non nisi deo igitur. Item philosophus in principio. viii. dicit quod si deus de nouo faceret mundum tunc mutaretur ab aliquo. Sed secundum philosophum deus nunc creat animam quam prius non creauit ergo ab aliquo mouetur. Item quicquid potest fortis illud potest deus sed fortis potest currere et moueri ergo deus potest currere et